

tam ordinaria, quam interlineari stipatum, ut habemus in glossatis *Bibliis*, Capitum hodierna divisione numeris in margine adstitutis, et praemisso vulgari argumento: *Matheus ex Judea sicut in ordine primus ponitur &c.* Extrema Folia nigredine quadam adfecta sunt.

XCI.

- U. 12 Codex membranaceus lat. Sec. XIII. Folior. 51. f. eleganter perscriptus et rubricis enotatus, annoque 1540. donatus Collegio suo apud S. Nicolaum a docto Praefule *Vien. Job. Fabro Evangelium S. Marci* est, columna media Textum lineis ad recipiendam *Glossam* inter se distantibus exhibens, et *Glossis* utrinque ad latera stipatum. Praeit *Prologus Hieronymi*, ut in *Bibliis glossatis: Marcus Evangelista dei et Petri in baptisinate filius &c.* *Glossae* etiam praeter *interlinearem* e *Glossa ordinaria* delectae sunt.

XCII.

- R. 908 Codex membranaceus lat. Sec. XIII. Folior. 125. f. per tres columnas pereleganter scriptus et coloribus illustratus, olim Collegii S. J. *Viennae*, habet *Evangelium S. Lucae*, medio quidem luculente exaratum, utrinque autem *Glossa Walafredi Strabi*, quam ordinariam dicimus, stipatum, accedente etiam inter lineas illa, quam ad *Anselmum Laudunens.* referre amant, prout in *Bibliis glossatis*

impressis cernimus. Initium est a Prologo perperam *Hieronymo* tributo: *Lucas natione anthiocenus. arte medicus. discipulus apostolorum. paulum secutus usque ad confessionem eius. seruiens domino fuit sine crimine. Nam neque uxorem umquam habens neque filios. LXXXIV. annorum obiit in bitinia &c.* Ita usque ad illa verba: *Lectorem obsecro &c.* quae etiam in multis aliis Exemplis desunt. Quae de Uxore memorantur, leguntur quidem similiter apud *Hieronymum de Viris illustr. C. 7.* in quibusdam Mss. et Impressis, sed ea nec meliores Codices, neque graecus Interpres, quem *Sophronium* Autori *συγγεγον* putant, agnoscunt. Vide, si vacat, *Fabricii Biblioth. Eccles. p. 48.* et *Caveum* edit. *Basil. 1741. T. I. p. 285.* Ad calcem Noster litera quadrata: *Explicit. Lucas Evangelista.*

XCIII.

- Codex membranaceus lat. Sec. R. 1638 XIV. Folior. 127. f. min. nitidissime exaratus, coloribus speciosus et prius *Bibliothecae Civicae Vindob.* continet *Evangelium S. Lucae* *Glossa* tam ordinaria, quam inter lineas stipatum, non tamen omni illa, quae in *Bibliis glossatis* hodie reperitur; delectus enim arbitrium aut penes Curatores, aut penes Scriptores Codicum erat. Prologi *Hieronymiani* Paginae duae primae prorsus extritae sunt; reliqua omnia optime servata. Thecae anteriori inscriptum: